

vel instructior (h) fit insigniis, vel iisdem ex affe respondeat (i); contra Saxones prouincias plures pingere solent in scuto (k), quam in titulo commemorare.

(h) Ita enim Austriaci longe vberiores sunt in recensendis prouinciis in titulo, quam in insigniis, vbi ne principatus quidem omnes conspiciuntur, *lib. 1. c. 7.*

(i) Qui mores sunt plerisque communes.

(k) Si quid coniectando adsequor, putauerim, hoc fieri ex idonea & satis momentosa ratione. Nam in titulo recitari solent ditiones S. R. I. *immediatae* tantum, non autem illae, quae sunt prouinciales, & sub generali prouinciae nomine iam comprehenduntur. Exempli loco *Vinariensis, Orlamundanus, Gleichenfis, Pleiffensis, Eisenbergensis* comitatus & dynastias a Saxonibus vel Misniae, vel Thuringiae territorio adscribuntur. Ne igitur aliis suspicionem excitent, e. g. *Vinariensem* comitatum esse quidem in Thuringia, sed non de Thuringiae landgraviatu: consultum magis esse credunt, ab vsu tituli illius abstinere. Notum enim est, quod Thuringia tot comites habeat, qui S. R. I. parere volunt absque principe landgrauio intermedio, negantque, se esse de Thuringiae landgraviatu. Eadem causa idem faciunt *Boii & Brunsvicenses*. Ita egomet rem accipio, in qua coniectura si errauero, veniam eius erroris peto a viris rectiora doctis.

FINIS TOMI I.

